



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCXLIX. ad annum DCLXXVI.

Parisiis, 1644

Titvli Capitvlorvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15300

An Concilium fuerit.

^a *Synodus Pharenfis.*] Quia in hoc Conuentu non omnes episcopi prouinciales conuocati fuerunt, sed tantum inter se contulerunt illi qui tunc aderant, imitatus sanctum Augustinū huiusmodi Conuentum propria magis voce collationem quam Synodum appellandam esse sentio. Tempus habitæ Collationis describitur a Beda supra.

Quis fuerit error Scotorum de paschate.

^b *De ritu celebrandi paschatis.*] Error Scotorum alius erat a Quartadecimanorum: non enim sentiebant præcise decimaquarta luna sed die dominico pascha celebrandum esse. Discrepabant a catholicis, quod illo die dominico pascha peragerent, qui primus occurrebat a decima tertia luna vsque ad vigesimam. Ex quo illud absurdum quandoque fiebat, vt si dominica dies incideret in lunam 14. ipsi cum Iudæis pascha celebrarent, quod euitassent, si vna cum catholicis illo dominico die celebrassent pascha, qui primus a 14. luna ad vesperam vsque ad 21. lunam occurrebat. Errarunt hac in re Scoti non ex contumacia, sed ex inscitia computi paschalis, ideoque hic error ipsis venialis, tunc cum nemo illos hac in re instruxisset. Porro cœptus est huiusmodi error anno Domini 566. durauitque vsque ad annum Domini 716. Vide Baron. anno 664. num. 5.

ANNO CHRISTI 664.

CONCILIVM EMERITENSE.

ANNO CHRISTI 666.

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|---|---|
| I. <i>Epistola de fidei institutione, eiusque ordine.</i> | <i>intentionem habent.</i> |
| II. <i>De vespertini officii seruando ordine.</i> | IX. <i>Quid presbyter obseruare debeat, qui presbyteris iubetur dare sanctum chrisma.</i> |
| III. <i>Quid sit obseruandum tempore quo rex in exercitu progreditur, pro regis, gentis, aut patriæ statu atque salute.</i> | X. <i>Vt omnis episcopus infra hanc prouinciam constitutus archipresbyterum, archidiaconum, & primiceriū in ecclesia sua habeat.</i> |
| IV. <i>Qualiter metropolitanus suis consinitimis, aut consinitimi metropolitano suo placitum faciant.</i> | XI. <i>Vt omnis presbyter, abbas, vel diaconus episcopo suo humilitatem teneat, & reuerentiam summam.</i> |
| V. <i>Vt episcopus ad suam personam, ad Concilium non diaconum, sed aut archipresbyterum, aut presbyterum dirigat.</i> | XII. <i>Vt episcopus, qui illi placiti fuerint de parochia sua, presbyteros, atque diacones cathedrales sibi faciat.</i> |
| VI. <i>Qualiter episcopus admonitione accepta ad metropolitanum suum veniat.</i> | XIII. <i>Vt episcopus quem viderit de clericis suis ad bonū profectum tēdere, honorādi, & magnificandi de rebus ecclesie licentiā habeat.</i> |
| VII. <i>Qualiter secundum priorū Canonum instituta Concilium fiat.</i> | XIV. <i>De pecunia quæ in ecclesia Dei offertur fideliter colligenda,</i> |
| VIII. <i>Quid ordinatum maneat de episcopis qui inter se de parochiis</i> | |

ANNO
CHRISTI
666.

- & fideliter diuidenda.*
- XV. *Vt episcopi atque presbyteri pro grauibus causis (quod legum damnant sententia) sine iudicis examine familiam ecclesie non debeant extirpare.*
- XVI. *Vt episcopo non liceat tertiam de parochitanis ecclesiis tollere; sed qua instituta sunt debeat obseruare.*
- XVII. *Vt post mortem episcopi nulli subiectorum liceat de eo quidquam detrabere.*
- XVIII. *Vt parochitani presbyteri, iuxta vt posse habuerint, de familia ecclesie sue clericos sibi faciant & habeant.*
- XIX. *Vt presbyter, qui plures ecclesias habuerit commissas, pro singulis dominicis diebus, in singulis sacrificium Deo offerre intendat.*
- XX. *Qualiter libertos episcopi faciãt, vel qualiter liberti a patrocinio ecclesie nunquã discedant.*
- XXI. *Qualiter stabilitum maneat, quod episcopus in amicis suis, seruis, aut libertis, de re ecclesie sue donare voluerit.*
- XXII. *Qualiter excommunicari oporteat qui Canonis non custodierit sententiam.*
- XXIII. *Confirmatio huius Cõcilii.*

P R Æ F A T I O.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS sancti. Synodus quæ gesta est in prouincia Lusitania, apud ^a urbem Emeritensem, quæ caput eius dignoscitur esse, duodecim episcopis in unum collectis, die VIII. Iduum Nouembris, ^b anno XVIII. serenissimi & piissimi Reccesuinti regis, æra DCCIV.

CONGREGATIS nobis omnibus prouinciæ Lusitaniæ episcopis, in nomine Domini, residentibus in Ierusalem ecclesia, quæ in Emeritensi vrbe, (quæ caput huius prouinciæ noscitur esse, & sub principali nomine manet dedicata) iuxta ordinem priorum Canonum nostrorum, cum Dei iuuamine cœptum est initium. Primum (vt mos est) debitas laudes persoluimus omnipotenti Deo, cuius munere adunati sumus, & dono: deinde serenissimo atque clementissimo principi nostro, & domino gratiarũ actiones impendimus regi Reccesuinto; optantes diuinam misericordiam, vt qui ei tribuit regni potestatem, concedat & vitæ felicitatem, cum pacis quiete; sicque eum de suis hostibus reddat victorem, vt suorum inimicorum colla ditioni eius subdat, gratia fauente; quatenus & præsentem vitam quietus possideat per tempora longa, & post multa annorum curricula beatitudinis gaudia obtineat, per sæcula nunquam finienda. Et quoniam de sæcularibus sancta illi manet cura, & ecclesiastica per diuinam gratiam recte disponit mente